



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

De separatione elementorum. Cap. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

In salem coegimus, nil ab orientali differentem, & sic ammoniacus sal, qui hucusque ignotus delituit, nostris regionibus habetur; scilicet sulphuris sal, & oleum hoc, aqua est salis sulphuris, siue ammoniaci. Optarem scire, solertioris inuestigationis viros, si hoc meum inuentum comprobant. Excerptimus enim ora, ex quibus sulphuris fumus exhalabat, in aquam calidam dissoluimus, & per pendente liciniam purgauimus, mox aquam in auram soluendo, salem habuimus ascendente, & nil (vt spero) ab ammoniaco diuersum.

De separatione elementorum. CAP. XXI.

In misto quatuor insunt elementa, sed vnum saepe praevalidans, alia, vt inutilia hebescent, vnde cum elementa separari misti dicimus, plerumq; hoc vnū intendimus segregare. In nimpha aquae elementum praevalidatur; aer, terra, & ignis pauca sunt, vnde siccitatis, caloris pauca, vel nulla quantitas, sed aqua obtundit omnia: sic de alijs intelligendū. Sed quia elementa separamus, ne putetis omnia inuicem separari, vt aerem ab aqua, & hanc ab igne, & terra absolute separari, sed per similitudinem quadam, vt quod igne dicimus, reliquis calidius existat, quod humidius aqua. Lapidem plus terrae habebunt, ligna ignis, herbae aquae; aerea dicimus, quae quum vasa, & receptaculū repleuerint, facile rumpunt illa, & euolat aer. Elementa quum hoc modo separata erunt, poterunt & ea ipsa purgari, attenuarique. Modus extrahendi variat, secundum rerum varietates; nam alia calcinantur, alia sublimantur, distillantur alia. Sed exempla adaeamus, volumus

Metalli elementa separare.

In aquam fortem, vt diximus, omnium spargitur, vt soluatur, hanc abstrahes balneo, & iterū affunde supra, sic toties donec in oleum vertatur, sed spadicei coloris aut rubei: huic oleo duas partes effundes aquae fortis, & vitro clausa macerabis fimo per mensem, post cinere distillabis totam aquam, hanc balneo iterum stillabis, quoad ascēdet, & habebis duo elementa. Ex balneo aer eleuatur, in fundo aqua, & terra, ignis in fundo manet

alterius vasis, quia eius substantia ex igne est, hoc per naturam, aquam affusam, & per balneum distillando iterum in oleum reducatur, & ignis rectificatus, & perfectus erit. Alia pones in cineribus, & vrgeat ignis, lenter primo eleuabitur aqua, post terra. In Luna primum oleum erit cæruleum, in separatione pura in fundo vasis remanet, eleuatur aqua, & in balneo elementa ignis, & terræ: nam frigida, & humida est substantia eius, in balneo remanent elementa ignis & terræ, primo exhibit terra, postmodum eleuatur ignis. E stanno primum oleum erit flauum, ex balneo manet aer in fundo, ignis vero, terra, & aqua eleuantur, in solo enim stanno, aer corpus exhibet, & quæ primo ascendunt in balneo, aqua, post ignis, postremo terra. Ex ferro rubrum, valde obscurum oleum fit. Ex argento viuum album, manet ignis in fundo, & terra, & aqua eleuantur, & sic de cæteris. Sequenti exemplis cebibimus

Herbarum elementa separare.

In omnibus herbis aliquod elementum dominum sibi arripit. Accipito saluiæ folia, & conterito, sub fimo in vase putrescant, post distillabis, primo ascendet ignis, tandiu donec immutantur colores, & aquæ spissitudo, terræ succedit pars, & altera in fundo remanet, quæ fixa est. Soli exposito aquam sex diebus, postea per balneum, primū ascendit aqua, post variatur color, & ignis ascendit, donec gustus alteretur, tandem terræ pars eleuatur, alia cum aere remissa in fundo manet. In aquaticis primum aer, post aqua, & ignis.

Quomodo virtutes vestiganda plantarum.

Nulla igitur melior methodus inuestigandarum plantarum virtutis, quam oculis & manibus, non autem ex gustu: ex distillatione enim, si calidior pars exhalabit prior, scito calidam, ac tenuium partium esse: & sic de cæteris, ex elementorum segregauone cognosces, si plus ignis, terræ, aut aquæ constabit, nam prius plantam librando, post aquæ extractionem, & olei feces ponderantur, & eorum omnium proportionem conicies gradat

us qualitatis. Sed libri angustia non patitur longius
procedi, alio opere, quod priuatim medicamur, Deo
dante, largius loquemur,

Quomodo gummi ex plantis extrahatur.

Possumus ex aliquibus plantis gummi extrahere: dixi-
mus aliquibus, nam multæ sunt, quæ carent, & nemo
dare potest, quæ non habet. Potest dare sceniculum, &
sceniculacea omnia, panaces, & eiusmodi similes. Mo-
dus extrahendi à Natura edocetur: nam quemadmo-
dum maximo Solis æstu, quum turgent succo caules,
propter quotidiana succi incrementa, in rimulas quas-
dam dehiscunt, instar grauidæ mulieris futuro partui
se accingentis, atq; liquor ille nobilis exillat, & profluit
planta annitente fœtum, qui partim calore solari, par-
tim ingenita proprietate, lentescit, inspissatur, ac in du-
riusculam massam digeritur. Vnde si velimus

Gummi ex panace extrahere.

In æstiuo solstitio panacis radix nocturno tempore, ne
radiorum solarium calor humiditatem eius hauriat, e-
uellitur, & secundum longitudinem concisa, in fictile
vitro incrustatum conijcitur, & inuersum in fornacem
descensoriam immittitur, eique receptorium stillanti
humori excipiendo subditum, lento igne è suprema vasis
parte vrgente, nobile gummi elicatur, quod alijs organis
purgatur, & nobilius stillatione secernitur. Idem de fe-
rula facere possumus, caulis eodem tempore interius
vulneratur, & vasis impositus tepido igne vrgente sub-
iecto vasculo, liquorem stillat glutinosum, qui vt desec-
catus fuerit, instar gummi induratur, & ad vsu medi-
cum adhibetur. Eodem modo possumus

Gummi sceniculorum extrahere.

Caules sceniculi in suo vigore, & medio florum pullu-
latu existentis, circa plenilunium, quia turgidior, in vir-
gulas, vel taleolas palmares dissecantur, & in tubum vi-
treum immittuntur, cuius amplitudo palmaris, longi-
tudo sesquipalmaris, donec eius tota cavitates expleatur.
Inde subditur infundibulū tubi fundo foraminuleno,
vt illud complexu suo optime recipiat, in ferri orificio

receptorium vitreum accōmodatur. Mox circa tubum, solares radios imitando, qui circum circa caules verberat, leuis ignis accenditur, spatio à tubo palmi vnus, tubo hoc modo incalescēte, guttulæ quædam exudant, quæ dūm vrgērem ignem aufugiunt, per fundum crebris foraminibus laessitum, in infundibulū labuntur, atq; in receptorium decidunt, & in gummi coeunt qualitatum sceniculi æmulum, virtutis non spernendæ.



IO. BAPTISTÆ
PORTÆ NEAPOLITANI,
MAGIÆ NATVRALIS
LIBER VNDECIMVS,

Qui omni ex parte longè iucundissimos
spirat odores.

PROOEMIUM.



DE vnguentis & odoribus post distillationem differendum, cognata ars, & affinis, ijs enim ex rebus odores sibi comparat, componit, & admiscet vnguenta, vt longe, lateq; fragrantissimos odores vibret. Principibus, & magnatibus gratissima ars, & nobilis. Docet enim aquas, olea, puluerem, pastam, fumos, & pelles odoratas conficere, quæ odores diutius, aut longo tempore tueantur, & quæ vel minimo ere parari possint, non vulgata, & popularia, sed quæ multum rara, & paucissimis cognita.